

DISPUTATIO MEDICA  
DE  
**P E S T E**

*QVAM*  
AUSPICIO SACRO SANCTÆ TRIADOS  
*EX*  
VETERVM ET RECENTIORVM OBSER-  
VATIONIBVS COLLECTAM

SUB  
PRÆSIDIO  
*VIRI NOBILISSIMI ET EXPERIEN-*  
*TISSIMI*

**ANDREÆ JULII Böttcher /**  
MEDIC. D. ET PROF. PUBL. ORDIN.  
ARCHIAT. GUELPHICI  
**PUBLICO EXAMINI**

SUBJICIT  
**IUSTVS ANDREAS RICHERS**  
HANNOVERANUS

*IN IULEO MAJORI*  
D. OCTOB. A. MDCCXII.

*HELMSTADII,*  
Typis GEORG. WOLFGANGI, HAMMII Acad. Typogr.

athol. spec.  
246, 14

*mob. no 230*

Handwritten text at the top of the page, likely a title or header, which is mostly illegible due to fading.

Handwritten text in the upper middle section of the page, appearing as a list or series of entries.

Handwritten text in the middle section of the page, possibly a continuation of the list or a separate entry.

Handwritten text in the lower middle section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, possibly a concluding statement or signature.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, continuing the list or entries.



§. I.

**N**umeri quamvis fere sint mortalium  
sanitati vitæque insidiantes morbi, tru-  
culentior tamen & humano generi exi-  
tialis magis vix alius ullus est, quam pe-  
stis. Hæc enim, omnium quasi in se su-  
scepit sævitiam, non angusta domus aut urbis ali-  
cujus spatium includi se patitur facile, totas provincias  
regnaque peragrans devastat, & incolis suis orbat, stra-  
ges per univèrsam fere orbem edens copiosas & in-  
numeras. Truculentior autem eadem quo est, &  
contagium ejus universalius, eo magis quoque abstru-  
sa & abscondita videtur ejusdem causa, & vera morbi  
origo. Non defuerunt equidem ab omni ævo, qui  
historiam pestiferæ luis sedulo conscripserunt, in mor-  
bi tamen causa indaganda verisque curationis indica-  
tionibus eruendis ipsimet inter se dissentientes Auto-  
res haut satis convenire videntur; sive quod varias in-  
duens formas, & quando grassatur, aliis se immiscens  
morbis, difficile reddat judicium, sive quod pro di-

A 2

ver-

veritate malignitatis, aliam subinde methodum in mendo exposcat hoc pestilentielle virus. Medico itaque cui hominum salus concredita, vel cui sponte etiam pro innato benefaciendi studio eadem cordi est & curæ, nihil antiquius aut prius esse poterit & debet, quam mature in luis imminentis indolem & naturam inquirere, ut aliorum periculo discens & experientis alienis proficiens, genuinos curandi scopos & Antidota eruere & suis ægris opem demum ferre possit certiozem. Atque hæc mecum ita perpendens, maxime cum Patronis specimen studiorum Academicorum exhibendum esset, pro themate disputationis hanc materiam elegi, in quo elaborando vires ingenii experiar.

§. II In Etymo autem vocis indicando non adeo prolixum esse lubet. Sive enim ἀπὸ τῆ πεσῆν, quod cadere est, aut prosterni, sive à pascendo, quod belluæ instar totas regiones depascatur, sive à pessundando & præcipiti illa quam infert pernicie, idem derivare allubescat, parum interest. Nec vocis multiplex significatio pariter nos moratur, cum, qualem intelligamus morbum seu pestem, ex illis, quæ sequuntur obscurum esse nequeat: Ipsa etiam Pestis aut pestilentia an recte distinguatur, alii judicent: Nos in præsentem magis commodis perspicuis & brevibus verbis pestem describere allaborabimus. *Pestis scilicet morbus est acutus, epidemicus maxime contagiosus & perniciosus, ortus ab externo contagio & humorum nostri corporis corruptione, pluribus funestis symptomatibus stipatus,*

pete-

*petechialibus, exanthematibus, bubonibus & anthracibus insignis.*

§ III. Morbum vocare pestem placuit: Quamvis enim plurimi ad febres pestem referant, ipseque præcedens sæpius horror & pulsus celer, una cum aliis non nullis febribus communibus signis, non levem febris latentis suspicionem inferant, quam præterea celer ille morbi decursus & manifestius ultimis diebus se exferens, aut superveniens febris roborare videtur, gravissimique insuper Medici suo calculo comprobent & stabiliant. Nolumus tamen pro genere definitionis ad evitanda præjudicia febris nomen ponere, aut illud asserere, quod ex meris ratiociniis & analogia, singulariumque forsan observatione infertur; sed plus potius experientiæ, quæ fida rerum magistra audit, tribuendum censemus; Præterquam enim quod & recentissimi, & qui nostra jam ætate proh dolor! graffantis luis historiam consignavere, Medici scriptores nullam expressam febris mentionem faciant; à plurimis etiam aliis superioris ævi scriptoribus per morbum potius, quam febrem pestem definitam aut descriptam legimus. Quin insignis ille Medicus Loimicus Isbrand. Diemerbroeck claris verbis testatur, pestem sine febre incepisse, hanc, pro symptomate potius pestis habens. Nec minus inter differentias pestis febrem refert Paulus Barbette, Diemerbroeckii coævus, graviter præterea scribens: *Quædam autem pesti omnino sine febre est, hoc qui ignorat majori indiget experientia & se non satis in bonorum Auctorum scriptis versatum prodit.* Non paucis adfui quibus alias

sanis bene & comedentibus & dormientibus bubones erant in inguine. Quale & de carbunculis in præsentī peste ante notabilem corporis & actionum læsionem aliam ipsisque ægris in publicum adhuc prodeuntibus contigisse refert. Dantiscanus Medicus J. G. K. in Epistola ad J. K. Medicum Uratislau.

Einiger  
Medicorum  
schreiben  
von Anno  
1711. grassirender Pest  
P. 33.

§. IV. Equidem ipsius pestis genius & natura abunde testantur, epitheta in definitione morbo non vane apposita esse; sed pesti optime convenire. Ipsam tamen naturam morbi nondum declarant, neque his solis, ab aliis morbis distinguitur satis; sed communia hæc cum pluribus aliis habet; nisi forte excellentiori in gradu pesti hæc competere, dicere velimus. Quam præceps enim & acutus pestis sit morbus, ex magnitudine morbi, cum ejus brevitate celerique decursu prudenter comparata, manifestum fiet. Strages & aucta funera perniciem loquuntur. Quam late à se non diffundit præterea pestilentielle virus, cum tristi in fomite ab una in alteram regionem translatum, vel hinc popularis & epidemicus, quo plures simul invadit, & populariter etiam grassatur, morbus evadere soleat. Unde Eustach. Rudius scribit: *Esse morbum communem seu epidemicum ad essentiam pestis haud pertinet: sed accidens quoddam est ab ejus natura prorsus extrinsecum, quod causam pestilentiae communem; vel etiam præter causam pestilentis morbi effectum, contagium, scilicet insequitur.*

L. 3. pract.  
Cap. 30.

§. V. Contagium illud est communicatio pestilentialis illius inquinamenti quo saniora corpora à morbidis afficiuntur; unde Hipp. non male per  
miasma-

miasmata seu morbidas excretiones idem describit. Corpora enim nostra perspirabilia sunt, & singulis momentis, atomi seu effluvia, ab ipsis ad extrema corporis delatis humoribus, poros egrediuntur; ipsa autem illa effluvia ejusdem sunt indolis cum ipsis corporis nostri humoribus, & horum qualitates exacte retinere & referre videntur: morbidis itaque illis redditis aut corruptis, morbida quoque evadent hæc, quæ ex corpore egrediuntur effluvia. Hæc autem jam aëri communicata, aut ab aliis corporibus excepta contagii fertilissima existunt semina. Simulac enim in corpus incidunt commodum fermenti ad instar sese diffundunt, & anomalos humoribus subinde inducunt motus, ipsos demum sui similes reddentes: unde Willisius contagium descripturus, sic eleganter satis & acute, pro more suo idem definit; quod sit *vis seu actio illa qua affectus quispiam residens in uno corpore sui similem excitat in alio.*

*Lib. de febl.  
Cap. 12.*

§. VI. Quo clarius autem ipsius contagii natura, & propagationis modus constet, ad hæc duo vel maxime respiciendum erit, imo seminium illud seu miasmata illa, quæ corpus inficiunt. 2do corpus ipsum quod inficitur. Corporis autem nomen hic paulo generalius & latiori in significatione accipi volumus, nec ad animata saltem hanc vocem restringimus, sed ad inanimata quoque idem extendimus, corporis nomine omnes illas res comprehendentes, quæ triste hoc virus suscipere, retinere, aut recondere consueverunt, ipsumque rursus occasione data dimittere & sic alia vicinaque inficere corpora aut res potis sunt.

sunt. Ipsius autem contagii natales detegere arduum magis est. Primus quippe, qui peste corripitur vel proster-  
sternitur, contagium ab alio suscipere non potuit; sed ab  
hoc potius contagii origo derivanda videtur: nisi forsan  
ipsum aërem ejusque intemperiem pro corpore morbo-  
so simul venditare, aut, de prægressis epidemicis morbis  
aliis, asserere velis, illos jam tantum malignitatis gra-  
dum acquisivisse & in pestem jam ipsam abiisse aut de-  
generasse. Admirationem sane meretur & ingenio-  
sa meditatione dignum, contagii illud virus remissius  
observari, quando per laudabiles crises morbi fit solu-  
tio; excellentius autem longe vicinaque promptius  
afficere corpora, si idem exitiale sit, & perniciem in-  
ferat ægroto.

§. VII. Missis autem tantisper illis, quæ de  
causa pestiferæ luis dicenda restant, contagii modum  
& rationem, pro ingenii modulo ulterius declarare  
allubescit. Præter jam illas aëris qualitates vel exces-  
su suo vel alio vitio insignes, seminium porro consti-  
tuunt morbosa corporum effluvia. Quippe pleraque,  
si non omnia, corpora, continuo effluvia de se dimit-  
tunt, pro ut itaque *corpus activis magis constat parti-*  
*culis, eo corpuscula insignioris virtutis & energiae à se*  
*dimittit;* ipsa illa, ex corpore morbofo egressa miasma-  
ta, veneni virus retinentia, dum corpus aliud ingre-  
diuntur, inque venas recepta fuerint, non possunt  
non deleterium motum ipsis humoribus inferre, aut  
saltem pro suo activitatis gradu, & prout majorem vel  
minorem hic invenerint resistantiam, agere in corpus.  
Inanimatum autem si magis corpus fuerit, quod ea-  
dem

Willis. de  
febb. Cap. 12.



dem recepit, eadem nec illud facile derelinquit rursus: sed, pro ipsius dispositione, satis diu inibi subsistunt; præsertim si motu destituantur ejusmodi corpora, aut libero aëri tales res expositæ non sint: unde postmodum, dum rursus explicantur, recondita pestis semina facile in auras abeunt, aëremque inficiunt vicinum, atque hoc eo magis, si, calore accedente sopita suscitentur & viscidiora forsan reddita, rarefiant. Accedens quippe calor maxime sopitum virus excitare valet, ut in aliis minus etiam contagiosis morbis idem videmus: si corpora ad invicem incalescunt, certior semper contagii metus; sic chirothecæ, calcei, tibialiaque scabiosorum aut arthriticorum, morborum horum sæpius semina, in alios, dum illis utuntur, transferunt.

§. VIII. De mortuorum cadaveribus plures subdubitare videntur Medici, an venenum amplius contineant, tantæ activitatis quod sit, ut alia sanaque corpora inficere possit. Expressis verbis negativam Fracastorius asserere videtur: *Mortuum inquit animal, contagionem eam non servat, qua tenebatur vivens, quoniam seminaria contagionis una cum calore innato extincta sunt.* Idem Forestus statuit & Rondeletius confirmat. Præceptum tamen ille in putredinem lapsus, cadaverosus odor, corporum demortuorum intumescencia, & aliorum observationes, si non contrarium docent, saltem dubia & minus explorata priorum reddunt observata. Quamobrem, recte satis in bene ordinata civitate, certis saltem hominibus, cura defunctorum datur, & publica lege solet sanciri, ut mature

L. VI. observ.  
serv. 88.

B

sepe-

Cap. X. de  
Peste.

sepeliantur, alte satis terræ immergantur & in remotiora, aut devia saltem ab urbe loca, deportentur; ipsius autem cœmeterii aër, utpote impurior, sanis quam maxime vitandus. Nec minus à sanorum confortio vespillones, seu quorum curæ, ipsi infecti aut peste extincti, concrediti sunt, recte arcentur: præterquam enim quod, horum præsentia, timidioribus metum incutere possit, sicque ad concipiendum virus corpora disponere magis: Maxime quoque de ipsorum corporibus, utut sanis apparentibus (ut de vestitu & amictu nihil dicam,) quæstio moveri solet, an inficere & virus propagare nihilominus valeant? Affirmativam Diemerbroeckius elegante simili roborare & illustrare conatur, omnem dubitandi tamen rationem & ansam nondum illo sublatam putem. Altiori nec minus indagine dignum; An melancholiæ & moerori adscribi debeat, quod ut plurimum, desinente peste, ejusmodi homines mercenarii, curam defunctorum & ægroantium qui habuerunt, mori soleant.

§. IX. Denique contagium hoc vel immediate magis & mutuo contactu, vel mediate, fomite alicubi relicto, propagatur & in distantia quævis loca transfertur; medium autem, per quod virus serpit & in vicina irrepit aut se insinuat corpora, aër erit. Hic enim dum pestifera hæcce effluvia primum recipit, non potest non fieri, quin idem ad viciniora & proxima quævis eadem ulterius deferat corpora, suoque motu propellat. Aerem scilicet, ut communis omnibus hauriendi est necessitas, sic ille, hisce scatens miasmatis, ad corpora per patulas & suetas vias eadem deducit.

deducit & facile secum fert, sive per patulum os ad fauces & pectus jam delata, partes hasce tristi contagio inficiant; ut subinde harum partium affectuum larvam induat pestis; sive salivali humori eadem permixta, ventriculum subeuntia, primas huic labis notas imprimant, sicque cardialgias, vomitus & insignem illius in abdominis visceribus ardoris sensus (ut in præsentī peste maxime observatur,) inferant; Anthrace, in ipsis pulmonibus & in ventriculo post mortem sæpius viso, dicta ulterius confirmante. Nec dubium etiam, quin & ipsis poris sese insinuent pestiferi atomi, sicque sanguini in capillaribus primo misceantur vasis, præsertim si mutuus accesserit contactus & corpora incaluerint invicem. Refero huc decubitus in uno lecto cum infectis, propioremque conversationem, vestimenta item ejusmodi de functorum, si corpori admoveantur & induantur. Videmus sic, rabidi canis virus, per laceratas & demorsas vestes, in foeminam propagatum, apud Salmuthum. De pestilentiali hocce veneno notari meretur illa Fracassati historia, quam & Diemerbroeckius refert, in obsidione scil. urbis Veronæ, unica veste pellicia, non minus quam quinque & viginti teutones obiisse, uno defuncto, alius induebat eam vestem, donec commonefacti illam combussere. Similis ratio est lectorum stragulorumque, panneorum, laneorum, linteorum similiumque.

§. X. Fomitē enim juxta Diemerbroeckium, *da-* l. c. Cap. X.  
*bunt, corpora rara, laxa, porosa, nullo vehementi calore, nulloque frigore prædita.* Metalla quidem & duriora quævis & solida corpora, quamvis non æque

ingredi posse videantur hæc contagii semina; si tamen immunda eadem sint, sordesque in superficie eisdem adhæreant, aptum satis veneno domicilium & receptaculum dabit hæc ipsa sordities, quin tactu manus sudantis ægrorum infici similiter posse, nullus dubito. Nec minus animalia bruta fomitem præbere & per domestica illa animalia, feles, atque canes ex una domo in alteram delatum venenum, observatum est ab aliis: prolixior, in fomite describendo, est *Kircherus*. In præsentis notasse sufficiet, quod ratione durationis, quamdiu in ejusmodi fomite contagium latefcere possit, certum temporis spatium determinari nequeat; sed pro ipsius fomitis aptitudine & quo minus libero aëri corpora ejusmodi exposita fuerint, non per menses solum, sed annos etiam asservatum virus plurimæ evincunt historiae.

§. XI. Quocunque autem demum modo pestifera hæc semina corpus ingrediantur, non possunt non, pro ipso hoc vehementiæ suæ aut activitatis gradu, vel, partes, ad quas feruntur solidas inficere & virulentia in illis maculas relinquere, vel, ubi ad venas jam delapsa sanguiniq; commixta sunt, hujus invertere motum, seq; diffundere latius. Activitatem enim, quam pestilentiali veneno omnes inesse maximam dicunt sine motu, concipere nobis non possumus satis; exerunt etiam illum & continuant eundem sanguinem jam ingressæ pestiferæ particulae, ubi, sui similes in consortium rapiendo, reliquarum massam sanguineam constituentium particularum motum facile invertunt & destruunt. Quemadmodum enim, paucilli fermenti ope, humores fermenta-

ii,

ri, & duos confusos invicem humores heterogeneos, protinus motu intestino agitari cernimus; atque subinde, pro motus hujus intestini varietate, modo turbidos evadere & in lentorem aut coagulum abire, exemplo cerevisiæ novellæ & vini non satis defœcati, aut lactis cum acidis mixtione Spir. salis cum Ol. olivarum &c. aut aliam plane naturam, dum particularum aliæ, sub ipso hoc motu, evehuntur & exaltantur magis, induere & in nova quasi concreta abire, exemplo aceti, Mercurii dulcis cum salibus mixtione &c. docemur. Sic idem in corpore nostro & sanguine hic contingere plusquam probabile videtur; ipsius motus mutationem, illa in pulsu facta mutatio ostendit, ipsam autem sanguinis destructionem pro ipsius motus & particularum massam sanguineam constituentium varietate, a posteriori ut scholæ loquuntur, demonstrare haud difficile erit.

§. XII. Ut autem miasmata hæc in corpus agere possint promptius, certa quoque corporis dispositio & habitudo ad illa requiritur. Quamvis enim nemo facile à pestilentiali veneno immunitatem sibi promittere possit; attamen observamus, alios magis, alios minus eodem affici, quin alios maxime immunes & sanos, medias inter pestis strages degere cernimus. Eleganti exemplo dicta illustrare conatur illustris Carolus Patinus pomorum putridorum contactus inquit: *Disput. de Peste pag. 9.*  
*viciniæ solius ratione non inficit, proximo quippe sæpe parcit, sed quod putredini suscipiendæ magis aptum est, seu maturius seu immaturius inquinat.* Sic in media peste & hominum strage bruta sæpius insontia & periculi  
 B 3 exper-

expertia deprehendimus & vice versa, pestes brutorum & strages observatae sunt saepius, humano genere plane à morborum insultibus experti & immuni degente.

§. XIII. Sic inter homines, ad quos artis praestantia hanc *πρᾶγματιστα* restrinxit, modo pauperes & plebejos, ob pravorum forsan humorum congeriem, à pravis eduliis & sordido vivendi genere ortam, praedivitibus, praesertim in initio contagii, laborasse magis, Plinius olim observavit, & publicae relationes de praesenti peste referunt; Modo viros magis, modo foeminas, modo juvenes, modo senes, in variis pestibus affectos magis fuisse, Auctores sunt gravissimi Medici. In ipsa hac praesenti peste ipsius aetatis ratione manifestius discrimen observatum & qui à decimo ad trigessimum annum mediam aetatem degebant, gravioribus symptomatibus obnoxios, imo in plerisque funestam deprehensam esse pestem legimus. Ut propterea pro falsis aut fabulis haec cum Patino habere non ausim; rationem potius diversitatis, & à solidarum partium tono & individuali temperamento forsan & acris intemperie, pestilentialisque veneni diversitate, repetendam putem. Accedit veterum auctoritas: *ita enim Hipp: hujus rei causam esse dixerim, quod corpus à corpore natura à natura & alimentum ab alimento differt; neque enim cuiusvis animalium generi eadem sunt commoda & incommoda, sed alia aliis conveniunt.* Magnam praeterea, ratione temperamentorum, differentiam etiam in hac peste observatam legimus: in Rosenbergenfi peste phlegmatici praecholericis pejus habere

Einiger  
Medicorum  
schreiben  
von jetzt  
grasirenden  
der Pest.  
pag. 36.

Lib. de flat.

re

re visi, in Dantiscana lue cholericum omnium pessime <sup>pag. 101.</sup>  
 degebant; phlegmatici è contra, maxime autem melancholici sic dicti, vel plane non, vel mitius saltem <sup>l. c. pag. 37.</sup>  
 pestis experti sunt virulentiam: Arthritici, Podagrifici  
 aut hecticâ laborantes, mitiora, sub ipsa hac præsentia  
 peste, fata habuisse dicuntur. Imo pro diversitate tem-  
 peramentorum, modo in bubones, modo in anthraces,  
 pestilentielle virus, critico naturæ conatu propulsum  
 legimus. Ut ut enim pestifera hæcce miasmata cor-  
 pus ingrediantur, exitiale tamen virus non æque  
 promte in omnibus se exserere valet, sed modo in aliis,  
 ab humorum segnitia minorique ad efferos illos mo-  
 tus continuandos aptitudine, coercetur magis, donec  
 vel eadem, continuato illo jugi humorum motu cor-  
 dis arteriarumque pressione, vel plane subigantur, acti-  
 vitate earundem sic remittente aut extincta: modo  
 tamen hac prævalente magis, sensim sanguinis inte-  
 stinus motus turbatur, ut, accedente leviori causa, in  
 manifestam erumpat pestem. Ita enim in corpore,  
 morborum semina non pestis solum, sed luis quoque  
 venereæ, imo hæreditariorum morborum, diu sæpius  
 latitasse, observatum est dudum. Nec minor resisten-  
 di veneno vis partibus inest solidis, quo firmiores  
 enim harum fibræ, eo minus ab externis affici inju-  
 riis, motum item humorum quadantenus adauge-  
 re aut imminuere posse, videntur.

§. XIV. Verum ad causas pestis demum pro-  
 gressuri, ab aëre initium facimus. Præterquam enim,  
 quod tota fere antiquitas ab aëris vitiis, pestis causam  
 repetiisse videatur; ipsum quoque contagium latissi-  
 me

me se diffundens & quod epidemicus sit morbus, universaliorē causam, & quæ non modo pluribus, sed omnibus communis quasi sit, innuit & arguit satis. In tota enim rerum non naturalium classe, præter aërem, talem vix reperimus, pluribus id docente Hipp. qui præclare inter alia scribit: *Mortalibus tum ipsius vitæ, tum morborum egrotis causa est aër.* Confirmat hoc ulterius, quod, sub ipso contagio grassante vel imminente, marcorem plantarum atq; germinum, subitam carniū putredinem, frugum siderationem, uberiores vermium & insectorum proventus ut plurimum observare soleamus. Unde veteres æque ac recentiores, ad corrigenda aëris vitia, indicationes curatorias plerasque direxisse videntur. Sic in defectu fluentis aquæ varia ampliora vasa, aqua repleta, in domibus & plateis passim exponebant; suffitus insuper & ejusmodi alia aëris vitia vel resorbentia vel dissipantia præscribebant. Hipp. in populari illa peste, quæ universam Græciam corripuerat, multis hominum millibus, incolumen valetudinem præstitisse dicitur, cum præcluso aditu Austri spiritibus, solum Aquilonem intromitteret. Nec minus annotatione dignum est, quod sub ipso hoc pestis contagio magis vigente, vix alii morbi ulli appareant, aut si tales maxime oboriantur, mox tamen pestilentielle virus assumunt, atque in pestem subinde mutantur. Ab aëris etiam hac qualicunque constitutione abortuum causa repetenda, quos frequentiores eo tempore, levioribusque de causis, oboriri, passim observatum legimus.

§. VX.



§. XV. Quale autem jam illud sit aëris vitium, plurimorum torfit ingenia, & cum occultæ qualitatis nomen exosum esset nimis, alii per venenum quoddam speciale, alii per putredinem explicare idem an-nisi sunt. Verum enim vero, ipsi hi termini analogiam potius & similitudinem, quam pestis cum ejusmodi habet, referunt & exhibent nobis, naturam autem ipsius non declarant satis, nec negotium exhauriunt omne. Mirum itaque hic minus videbitur, si plures horum castra rursus deserant, ipsum aërem plane ab hac deleteria qualitate innoxium excusantes. Motu quippe cum aër gaudeat continuo & à ventis subinde perflatur, non facile à stagnatione labem contrahet aër, & quæ ab inferioribus ascendunt, exhalationes dissipabuntur facile, quin si vastitatem & illimitatam fere ejus quantitatem spectes, omnem infici ab illis posse vix videtur probabile, ne dicam, quod ipsa illa miasmata contagiosa, ipso aëre leviora, in inferiori ipsius regione vix subsistere possint. Speciose autem sic quamvis hæc dicta videantur, & τὸ διότι quadantenus dubium reddere, τὸ ὅτι tamen invertere potis non sunt. Ipsa rerum odoriferarum effluvia, quamdiu in inferiore aëris regione olfactus non feriunt organon, antequam dissipantur & in auras abeunt? Forsan autem illud elici hinc posset axioma; Quod magis conveniat, ægros in superiore domus contignatione collocare, sanis inferiorem partem relinquendo. Ipsæ præterea aëris qualitates uti à regionis situ & soli natura ventisque, quibus patent magis, dependent; ita

C

unus

unus præ alio ad fovenda ejusmodi seminia aptior erit & idoneus magis.

§. XVI. Neque enim aëris illud qualecunque vitium in putredinosa ejusdem corruptione, aut veneno quodam, sic ab ipsius stagnatione in ipso genito, consistere putamus, sed dupliciter magis aër ad pestem producendam concurrere videtur: imo si magna, ut Naucrantiis verbis utar, *contigerit temporum mutatio excessu primarum qualitatum atque is diutius duret eoque hæclabes procedat, ut natura sua ac temperamento, hosticus hominibus aër factus sit, pestilentium & malignorum morborum causa erit.* 2do quando idem pestiferis miasmatibus infectus eadem de se spargit & ad corpora defert. Equidem non indocte de suo & qui Angliæ inquilinus est aëre scribit Sidenhammius, *interea aëris dispositionem quamcumvis λοιμωδὴν pesti suscitandæ per se inparem vehementer suspicor, quin pestilentia morbum alicubi semper superstitem, aut per fomitem, aut per pestiferi alicujus appulsum è locis infectis in alios deferri; ibidemque non nisi accedente simul idonea aëris diathesi popularem fieri.* De omni tamen & quarumcunque regionum aëre hoc assertum forsan haud valebit.

§. XVII. Inter aëris autem illas corpori nocivas constitutiones Austrinam sive humidam & tepidam intemperiem, maxime si nullis eadem subinde ventis agitetur, referunt. Talis est maxime quam Hipp. Lib. III. S. 3. epidem nobis describit: ad stipulatur Fernelius, qui ad fovendam pestem eandem aptam magis censet; nec disparem multo describit Sidenhammius: Cöberus febrium Hungaricarum diræque in castris

Lib. de Pur-  
pura p. m.  
107.

Cap. 2. f. 2.  
Prax. Med.  
exp.

Lib. de ab-  
ditis rerum  
causis.

castris Germanorum grassantis luis causam à pannonici  
 aëris qualitatibus & frequentioribus Austris, inter alia  
 repetit: Sudoris Anglici, pestis instar quondam grassan-  
 tis, causam, in Austrinam aëris intemperiem rejicit illu-  
 stris Wedelius. Quemadmodum enim, sub humida Disp. de su-  
 & tepida illa aëris intemperie, in putredinem omnia dore Angli-  
 magis ruere observamus: Sic & eadem corpora no- co.  
 stra resolvit & humidiora reddit, juxta illud Hipp. af-  
 fertum. Atque sic dum augendis, in corpore humo- Aph. 17. f. 3.  
 ribus patrocinator, nervosq; flaccidos & imbecilles red-  
 dit, morbosum corpori infert apparatus, qui acce-  
 dente postmodum humorum turgescencia seu orga-  
 smo facile in morbos erumpit. Talem autem vel ma-  
 xime excitare posse videtur, contraria huic si statim  
 subsequatur aëris tempestas, squalidus puta & in ca-  
 loris excessu peccans aër: qui rarefactus & tenuior  
 ipsos humores facile turgere facit, & motum indu-  
 cendo, latentia morborum semina excitat, & in mor-  
 bos erumpere facit. Herbas sic & fruges, in agris  
 aduri & fructus maturitatis gradum velocius attinge-  
 re, minus tamen assequi observamus. Lethiferos sic  
 ventos, maximeque ferventem aërem, certis anni  
 temporibus in Ægypto & Barbaria observari, scribunt  
 Historiographi, quibus flantibus, non modo sani suf-  
 focantur facile, sed ipsam pestem, quæ nunquam fere  
 integre remittit, eo tempore ferocire magis. Spe-  
 ctant quoque huc, quæ Gedanensis ille Medicus per Einiger  
 barometra instituit observationes, Mercurio ad  $96\frac{1}{2}$ . Med.  
 gradum ascendente. Causam pestis & idem repetit ab schreibet  
 ipsa summa attenuatione & rarefactione aëris, qua factum, pag. 17.

ut etiam in illis corporibus humanis, quorum energia Naturæ ad ejusmodi celeres motus vitales subeundos non sufficiebat, talis summe activa corruptio sanguinis attenuationi aëris analogæ ex orta fuerit. &c. Forsan huc quoque respiciens Sidenhammius, in humorum φλογώσες seu inflammatione morbi essentiam, consistere statuit. Nec, quod paradoxon videtur, forsā de brumali frigore idem dicendum, transpirationem impediēte, hincque cumulatis humoribus orgasmum inducente, ut pluribus Neucrantiis & recentioris pestis historia, ipsa hieme in borealibus regionibus grassantis, evincunt.

§. XVIII. Aëris autem, cum magna in quævis corpora, vis sit, ulterius hic perpendi oportet, quomodo & illa quibus ad sustentandam vitam utimur, subtili intemperie alterata & partim corrupta sint omnia, ut non possit non corpus hinc nostrum pravīs humoribus imbui & impleri plurimum. Pestem sæpius ob dictam causam animalium morbi & strages præcessisse legimus: Quamvis autem morbida horum caro non æque ab omnibus comedatur, & ne fiat, in bene constituta republica, cautum est: dum autem grassante ejusmodi lue pleraque eorundem dispositionem ad illam luem circumferant, hæc autem dignosci haut facile possit, alii judicent, an salutaris ejusmodi carniū esus hominibus sit. Idem dictum de fructibus horariis, qui in descriptis illis aëris tempestatibus, vel minus maturi, vel à pruīnis frequentibus alterati & ad corruptionem pronissimi, augent morbosum in corpore apparatus. Nihil dicam de ipsis sub fervido  
cœlo

L. 6.

coelo putrescentibus aquis, ipsum potum quoque infalubrem reddentibus. Accedit denique, annonæ caritas, inter causas pestis, ab omnibus recensita, eatenus cumulans morborum in corpore semina, quatenus illi, quibus misera magis & durior obtigit vivendi conditio, peregrina vescique alias insolita, pro satianda fame in victum eligere & comedere cogantur.

§. XIX. Cum sic denique aër Tragoediæ hujus primus Auctor existit, sensim jam in illum rursus respiciunt & se convertunt Tragoediæ hujus actores reliqui: scilicet ab ipsa rerum corruptione auctaque sorditie, tetri rursus halitus in auras abeunt, ipsumque aërem putredinis hæc inquinant semina, qui etiam, quo quietus magis est & ventis agitatur minus, eo promptius illa suscipit & fovet; imo si in caliditate idem excedit, non parum virulentiam miasmatum intendere & augere videtur. Hinc est, quod in calidioribus & circa orientem magis sitis regionibus, natales frequentius pestem ducere observatur. Quantum autem sola sordities ad impuriorem reddendum aërem morborumque genesin valeat, milites & qui castra sequuntur, tristi suo exemplo docent, & Cöberus observationum fide evincit. Magis aërem adhuc inquinant inhumata corpora post commissa prælia, maxime autem animalium dira lue extinctorum cadavera & quorum, sub illa aëris intemperie, major copia esse solet, insectorum jam mortuorum acervus. Huc referri debet *Prosp. Alpin.* observatio, in Ægypto frequentem magis pestem observantis, ob Nili inundationem, & piscium in ripa & agris extinctorum corruptionem,

*Hipp. Lib. de aër. Loc. & aq. Cardan. de venen.* & foetorem maxime si calidi statim venti illam excipiant & sequantur. Stagnantes aquæ & putridi lacus, pariter regionis aërem ita inficiunt quandoque, ut inter endemiorum morborum causas, ab omnibus uno ore referantur Scriptoribus.

§. XX. Quamvis autem hæc forsan ad exitialem ejusmodi morbum sufficere posse videantur, silentio tamen prætereunda non erit insignis illa imaginationis vis & mente concepti terroris efficacia. Etenim nihil magis ad morbum aliquem corpus disponere valet, quam frequens ipsius meditatio & periculi assidua consideratio: Spiritus, sic statim irregulari motu, feruntur, & circa idem objectum sollicita sic mente, segnius in partes reliquas influunt, mox autem, dum qualemcunq; in corpore alterationem pestem esse sibi imaginantur, determinati magis ad ipsa in peste affici solita loca, alia subinde destituunt, aut pro excitandis ejusmodi ideis circa commune sensorium volvuntur unice. Unde non modo varia nervosi generis symptomata sequuntur, sed motu anomalo humoribus inducto, ad illum vitiosum concipiendum, eundem disponunt, sanguinisque crasin destruunt. Declarant hoc ipsum ulterius titubantis in meticulosus artus, respiratio profunda & anxiosa, minus tamen frequens & extremorum frigus; sub ejusmodi ergo majori animi affectu litat quamplurimum sanitas, & pronus in morbos lapsus, strataque via quam presso pede postmodum morbi sequuntur, quo epidemice magis iidem grassantur. Nollem tamen cum Helmontio hinc pestis causam unice repetere, nec solo metu virus propagari putem, cum plures insuper pestis invadat, qui  
vel

vel inperterrita animo inter pericula degunt, vel qui periculi, propter ætatem, nullam rationem habere possunt.

§. XXI. Verum ne prolixiores in causarum examine simus, ad diagnostica pestis signa ulterius progrediamur. In genere notamus, quod plura cum febribus malignis, communia habeat pestis. Brevitatis itaque studio nos saltem illa recensebimus, quæ in præsentente peste passim observata legimus; sunt autem hæc sequentia: Horrore primum ægri corripiebantur, quem intensior mox sequebatur calor, omnis intermissionis ut plurimum expers, nec quædam circa vesperam exacerbatio visa est facile. Rarius post primum horrorem novo frigoris sensu afficiebantur; in quibusdam tamen catarrhalem febrem referens, sub ipso æstu levior horror subrepat, corpus subinde concutiens. Aderant statim capitis dorsi & artuum dolores, modo cum vigiliis & delirio, modo majore in somnum propensione; individuus comes erat anxietas, summa cum virium prostratione & lipothymicis insultibus stipata. Atque hæc summa corporis debilitas, pathognomicum aliis dabat pestis signum, quæ non citius cessabat, quam facta crisi, pulsu interim existente celeri, non tamen frequenti semper, sed interdum satis tardo ast forti & inæquali. Accedebat nausea, insignis in abdomine æstus & uri hic quasi videbantur viscera, non procul aberant vomitus, diarrhœæ & sanguinis frequentes observabantur fluxiones. Quandoque vomitus scenam ordiebatur, quam presso statim pede anxietates sequebantur.

Urina

Urina per totum decursum inconstans & infida dabat signa, modo sanorum simillima, modo tenuis, albicans, crassa & jumentorum instar. Certiora signa conceptæ pestis erant exanthemata illa, bubones & anthraces, qui & sæpius sese ostendebant corpore alias valente & nulla manifesta ægritudine laborante: Animadversione autem digna est observatio, quando capitis dolores vehementiores, carbunculos: dorsi autem & artuum, bubones magis secutos refert Dantiscanus Medicus J. K.

§. XXII. Exanthemata autem illa pestis triplicis fere sunt differentia, & in Bubones, Anthraces & petechias distinguuntur. Bubones, tumorem denotant glandularum maxime illarum, quæ pone aures circa collum sub axillis & inguinibus sitæ sunt. In principio durior est tumor & sub cute profundius latere videtur; accedente autem mox inflammatione suppuratur sensim & pus fundit; Aliquando tamen omnis discutitur & sponte evanescit: Anthraces autem seu carbunculi uti varia sub forma se sistunt, sic Auctores, in definiendis illis, non æque conveniunt omnes. Solent sic vesiculæ cum insigni ardoris sensu elevari per cutem varii coloris & in ambitu inflammatae, eæque modo siccae & depressæ, modo sero repletæ ad tactum duriusculæ, modo detracta pellicula in escharam seu crustam, cutem adustam vides. Unde Diemerb. *Carbunculus*, inquit, *est partis alicujus gangræna dum est in fieri: Sphacelus vero dum est in facto*, Petechiæ haud absimiles illis febrium malignarum, maculæ sunt subcutaneæ, rubicundi, lividi, purpurei, aliusq; modo coloris.

Di-



Diversitatem autem horum exanthematum & quod in aliis subjectis, modo hæc, modo illa magis observari soleant, à diversitate temperamentorum & sanguinis constitutionis individuali repetendam maxime putem. Confirmant hoc, quæ Dantiscanus ille Medicus refert: *sanguineorum, inquit, pure sic dictorum crises erant semper vel petechiæ vel carbunculi, vel bubo cum petechiis; Cholericorum bubo & petechiæ, vel plures carbunculi simul; Phlegmaticorum vel bubones lente prorumpentes vel carbunculi haud adeo mali. Melancholicorum autem crises erant bubones cito erumpentes.* pag. 37.

§. XXIII. Atque his demum in corpore excitationis, aut protrusis exanthematibus, periodum suam absolvisse fere pestis videtur, ut ad crises hujus non immerito eadem referri possint. Quamvis enim bubones quandoque sine notabili quadam functionum læsione, in quibusdam more aliorum abscessuum prorumpant, salutare tamen fere semper existunt, & quoties in ipso hoc morbo contingunt, debito tempore & modo, toties & symptomatum mitigationem & recuperandæ sanitatis spem afferunt. Nec etiam multum hic obstat recentiorum illa observatio, quando sine lethalibus signis & sinistro eventu bubones quandoque disparuerunt rursus & ad interiora quasi reversi. Idem Thonerus ab alexipharmacorum usu & continuato sudore observavit. Præterquam enim quod *Lib. 1. observ. ferru. appen.* udores, per totum fere morbi decursum, continui, peccantem materiam sensim expellendo, non parum ad salutem conferant, ipsa quoque corpora, in quibus bubones retrocessisse aut dissipatos esse observatum est,

D

for-

forſan minus humoribus turgida & pravis ſuccis non æque inſarcta aut repleta extiterunt, ipſa ſanie copioſa, quam nonnulli bubonum fundere ſolent, à plethora corporis natales ducente. De petechiis autem, utpote hic inpeſte minus ſalutaribus, quadrat maxime illud Doctiſſimi Gvarinonii: *De his inquietis petechialibus maculis neceſſe habeo dicere, quod mihi parum vel nihil auxilii exitus illarum aſſerre videatur, quodque nullo modo ſint exanthematibus & variolis conferenda, cum non educant materiam, ſed oſtendant: illam autem non efferant, quæ vitioſa eſt & lædit.* Sunt potius ſanguineus halitus, qui vi morbi ſub fervore funditur & intra cutem & cuticulam in illum colorem concreſcit.

ſ. XXIV. Atque hæc ipſa exanthemata, ſi illa quæ in præſente peſte circa prognofin obſervata legimus, tranſcribere hic licet, uti maxime inter ſe differunt, tum ratione materiæ ſecretæ, tum ratione affectionis, ſic prognofis horum non eadem. In genere enim bubones mites magis, anthraces & carbunculi multo pejores, petechias autem omnium peſſimas & lethales in peſte experimur. Petechiæ, paucis ſæpius ante fatalem terminum horis, prorumpere ſolent, raroque ſolæ apparent, ſed anthracibus bubonibusque junguntur, aut illis ſuperveniunt. Verſicolores & ſenſim ad nigredinem vergentes, latiusque per cutem expanſæ, gangrænæ haud obſcura relinquunt indicia. Carbunculorum autem nec læta ſatis prognofis, ſed lethalibus ſignis Toruni & Roſenbergæ annumerati, periculum autem, & multitudo &

& locus in quo exurgubant, augebunt: horum alios tamen præ aliis pestiferos & funestos esse, vel externa eorundem arguit facies. Bubones denique, mitiorem spondebant eventum, & recte deligati non vanam spem, ad recuperandam valetudinem, faciebant. Funesti solum illis, in quibus anthracibus & petechiis stipati prorumpabant, ut incertum magis, utrum his, an illis adscribenda sit mortis subsecutæ causa? Negligentius autem habiti lethales evadebant omnes, bonum si ad suppurationem vergentes pure fluebant copioso. Plures tamen etiam sine suppuratione discussos lætis ægrotantium rebus Dantisci legimus; quod in Rosenbergenfi peste solummodo in illis observatum, qui plures bubones simul habuerunt & horum aliquos apertos.

§. XXV. Quanquam autem inter acutissimos merito pestis morbos referatur; observatum tamen est, non adeo certos & constantes dies decretorios in omnibus eandem habuisse, sed forsan pro temperamentorum diversitate & humorum ad ejusmodi anomalos motus aptitudine, modo citius modo tardius crises contigisse legimus. In Cholericis, quippe pronò magis impetu ad crisin ruere videbantur omnia, ut in his efferus humorum motus arte restringendus, inhibendusque fuerit magis; secus in phlegmaticis, ubi segniores magis stimulandi & ad salutarem crisin disponendi erant humores. Atque quo lenta sic ma-

gis crisis contingebat, sine omni præcipitatione & humorum confusione, ut ita loquar, eo certior ad sanitatem spes, septimoque superato die fere omnes conva-

Einiger  
Med.  
schreiben  
pag. 8.

luerunt. Laudabiles quoque crises erant, quæ tertio & quarto die contingebant, tardius quoties imminebant, toties & pluribus symptomatibus erat stipata pestis, & præterquam, quod alii sudores particulares patiebantur, ante quintum diem sudor in illis vix prorumpere solebat. Nec facile, qui post quartum crisin experiebantur, & hanc quidem solum subforma bubonum, sanabantur. Diligentiam observatoris Medici arguit, quod sudor in principio morbi, crisin vel tertio vel quarto die futuram indicaverit, atque copiosior per anthraces; blandior autem per bubones.

§. XXVI. Symptomata porro, quibus hæc lues stipatur, non nisi incertam medentibus dedisse prognosin animadvertimus. Præterquam enim, quod, pro diversitate constitutionum & circumstantiarum, quædam omnino, hæc inter symptomata, intercedat differentia, ut quæ his salutaria, alteri nociva sint magis, discrepantes etiam recentiorum Medicorum diversis in locis factæ observationes, nihil certi statuere nosmet sinunt. Sic Rosenbergæ hæmorrhagiæ fere lethales fuere semper. Dantiscani inter melioris notæ symptomata easdem referebant, imo modicæ, dieque critico contingentes, oppido magis salutares deprehensæ sunt. Toruni vomitus in principio morbi facilem spondebant curationem, quam post bubonum eruptionem renuebant omnem, diarrhææ item perpetuo funestæ. De his autem Dantiscanus ille Medicus ita scribit: quibus vomitus in initio morbi accidebat, pejus habebant, quam illi, qui post semicriticum diem illos patiebantur; imo sub  
prio

priori illa conditione plures moriebantur, idem de diarrhæis experientia comprobavit. Delirium in principio morbi accedens funestum judicatur malique ominis, tertio plerumque die subsecuta morte: Toruni in declinatione morbi idem reconvalescentiæ signum erat, in principio rarissime observabatur. Soporosi morbi calamitosi maxime, ut chronicum magis morbum reddere fatalemque horam differere quasi viderentur. Sudores copiosi & vehementes suspecti semper & funesti plerumque, ut ab his solis, nullis aliis signis pestis accedentibus, alii sint extincti, malum si nulli plane abcessus. Vermes cum hoc morbo conjunctos fuisse magis Rosenbergaë observatum est, maximum tamen semper ægrotantium damno: Atque Diemberoeckii hic quoque stabilita observatio & circa plenilunium sævior & dira ut plurimum lues visa est. In-<sup>pag. 113.</sup>ter absolute autem *lethalia signa Frauenstadensis pestis*, erant feces alvinæ nigro tinctæ colore. 2. Subitanea quasi reconvalescentia seu morbi melioratio. 3. Tormina ventris. 4. Difficultas urinæ. 5. Febris lipyria.

§. XXVII. Quæ denique ab aliis grassante peste olim jam observata sunt, aut quæ magis cum febribus malignis circa prognosin communia habet, triste hocce morbi malique genus, illa omnia, brevitatis amore, silentio præterimus; de cura magis ipsius morbi solliciti: Hæc autem cum duplex sit rursus, alia in prudenti præservatione, alia in ipsius felici medela & curatione consistat, bivariam quoque illa hic à nobis considerari oportet. Primo itaque de prophylaxi, quatenus illa ad Medicum forum pertinet.

D 3

§. XXVIII.

§. XXVIII. Ad prophylaxin hancce & sanitatis custodiam omnium maxime diæta pertinet, quæ cum in legitima rerum non naturalium, à Medicis vocatarum observatione & usu consistat, de illis imprimis hic agendum erit. Primas aër hic tenet. Veteres æque ac recentiores Medicos, in corrigendo hoc aëris vitio, admodum occupatos videmus, & modo per tormentorum frequentes explosiones, campanarum pulsationes, ignes luculentos per plateas accensos corrigere, variisque demum suffitibus ambientis aëris atmosphæram ventilare allaborarunt. Verum enim vero, cum non omnis aër, semper infectus aut virulentus sit, nec proinde, tam sumtuosa correctione opus habere videtur, modo illud, quod contagium propius suscipere valet & tetrivaporibus aërem replet, quantum possibile, removeatur. Quin cum sæpius benignior sereniorque aura & mitis cœli aspectus sub ipsa grassante peste deprehendatur, non inconsultum putem, aëri liberiori quandoque corpora exponere, & sereno cœlo soleque radiante motum subinde corpori inducere, deambulando vel equitando; vitando saltem, effluviis vaporibusque gravem & onustum magis, matutinum & vespertinum aërem: Ipsa autem consortia hominum imprimis infectorum, aut illorum, quibus horum cura concredita est, quantum per pietatem licet, fugiendo; saltem jejuno ventriculo eadem nunquam frequentando aut in publicum prodeundo. A propiore rerum ob contagii fomitem suspectarum contactu abstineant, saltem illis nisi probe fumigatis, aut alio modo debite repurgatis uti, aut corpori

pori propius admovere debent, qui propriæ sanitatis studiosi sunt, aut ejus curam habere volunt.

§. XXIX. Privatus vero seu domesticus aër, cum ventis minus perfletur, vitium facilius contrahit & majore indigebit correctione. Sereno itaque cœlo nihil vetat, post solis maxime exortum ventis salubribus per apertas fenestras aditum & accessum liberum concedere. Camini igne excitato non parum quoque aër ventilatur, modo sub fervido jam tum cœlo incallescencia major eidem non inducatur. Nisi enim me omnia fallunt, & rarefactus ita tenuiorque redditus aër, non parum ipsa pestis contagia excitare & corpora ad illa disponere posse videtur, teste Diemerb. Idem, de suffi- C. v. l. 2.  
migiis miniis illisve ex calidioribus paratis, recte anno. n. 6.  
tavit illust. Hoffman. Pro diversa itaque & aëris in- C. 13. de pe-  
temperie & corporum forsan varietate, hæc & alia subin- ste.  
de substituere, ratio svadet & experientia confirmat. Ad aëris vitia corrigenda, alii vasa capacia aceto repleta in conclavibus reponunt: nec de nihilo est, quod alii ad resorbenda illa effluvia aquam reponant puriorem in variis domus & hypocaustorum locis in dies illam mutando: Ornat non tantum, sed à contagio præservat, ipsa mundities & non sumtuosa elegantia; exulet hic omnis pompa & pretiosior hypocaustorum vestitus, præsertim ex lana parata pavimenta.

§. XXX. In cibo & potu sobrietas maxime commendanda venit; quantitatem autem certam hic determinare nequimus, sed pro diversitate constitutionum motusque corporis, forsan & ipsius consuetudinis, alii pauciore, alii pleniore victu indigere videntur, Aph. 17. st.  
modo

modo nimium, illud evitetur semper. Præstat enim satiari cibus, non repleti, & integrum esse ad labores. Cibi autem eligantur euchymi & facilis digestionis; *Aph. 38. f. 1.* valebit hic rursus, illud Hipp. *Cibus & potus paulo deterior, suavior tamen melioribus quidem, sed in-  
Aph. 50. f. 2.* suavioribus est anteponeendus. Quin enim quarum rerum inveteravit consuetudo, quamvis deteriores sint illæ, minus tamen insuetis male afficiunt. Est ergo assuetorum usus suscipiendus: A crudioribus autem cibus & corruptionis aliqua nota suspectis, fructibusque horariis crudis non coctis omnino abstinere satius est. Potus sit cerevisia defœcata tenuis ex aquis salubribus parata, non limosis aut putridis: si conditio ægri ferat, vini cyathus proderit plurimum. Præterquam enim, quod inter antidota pestis vinum referant alii, nimii forsitan ejusdem laudatores, imprimis ad digestionis opus promovendum, viresque restaurandas idem commendari meretur. Cave autem, ne liberalior usus, sanguini calorem & corpori ad contagium promptius suscipiendum, dispositionem inferat.

§. XXXI. In motu & quiete, somno & vigiliis, uti magna consuetudinis vis, sic tamen mediocritas observanda semper: Animi motus, quantum in nobis est, refrenari oportet, imprimis, omnis mœror, tristitia, & sedula illa frequensque imminentis periculi & pestis meditatio, animo penitus excutiatur, cum plures sane, sub illo pestis tempore, metu pestilentiaë & mortis afficiantur & inficiantur, quam à contagioso aëre. Denique & ad sanitatem conservandam spectat, ut illa, quæ egredi debent è corpore, recte egrediantur, illo-  
rum



rum itaque curam, ut quilibet habeat in corpore, necesse est.

§. XXXII. Commodum quoque hic erit de Tobaci suctione, utpote pluribus familiari & oppido frequenti, agere. Multus est in laudibus ipsius Diemerb. Verum enim vero, ut recte de usu tobaci differit ipsemet Diemerbroeckius, Sic nec omnibus idem proderit, forsan illis solum in quorum corpore <sup>L. II. cap. X.</sup> copiosius serum viscidiorque mucus abundant, forte autem nervosum genus & robustum existit. Optime inter alios illust. Schröckius, de Tabaci qualitatibus & noxis differens, graviter scribit. *Fumus itaque ille, cum* <sup>Vid. Hel. v. 19. obs. serv. 45. in-schol.</sup> *natura sua abundet sale volatili proptereaque acris & penetrans existat, (1) sanguinem in effervescentiam naturali multo majorem concitare, copiosum ejus in cerebri medullium impetum hoc modo promovere, & coactovato sic ibi sanguine minutissimos in molli ac facile cedente ipsius substantia porulos spirituum vitalium ex arteriis influxui eorumque in animales mutatorum effluxui dicatos, comprimere, vel etiam, si extravasetur, obstruere atque ita quicquid exin spirituum animalium generari debuerat suppressere, generatosque suffocare potis est. (2) ob id ipsum sal volatile humores serosi crassiores liquantur & resolvantur, qui dein copiosi cerebrum incurrentes illud inundant, atque ejusdem exiguos meatus occupant, obstruuntque &c. (3) Cum in Tabaco non minus sulphur aliquod narcoticum lateat, spiritibus animalibus infestum, torporem & stuporem ipsis inducens, non mirum si nimius ejus influxus eosdem suppressat vel omnino extinguat.*

E

§. XXXIII.

§. XXXIII. Diætam proxime Pharmacia excipit, & nostram jam considerationem ad se rapiunt illa, quæ, magno numero apud Auctores, tam pro externo quam interno usu, commendantur medicamenta. Inter externa amuleta prima sunt: quorum utut ingens catalogus, plerorumque tamen operationes imaginationi potius adscribi debere videntur & certæ confidentiæ, qua omnis postmodum terror ex corpore excutitur & præscribitur. Superstitiosa autem quævis rejicimus, arsenicalia & venenata, tanquam intuta, nec minus damnamus. Plura alias apud Crollium reperiuntur. Notum est Xenexon illud Paracelsi. Argentum vivum alii extollunt, bufonem laudant rursus alii, cujus præterea singularem præparationem docet Kircherus. Colchici radicem maxime præfert Rivinus. Plus tamen balsamis illis Loimicis, quibus manuum carpus, cordis regio, nares & tempora illiniri poterunt, tribuendum censemus, ex Theriaca Andramach. Ol. scorp. Rut. Angel. Citri. succin. camph. & similibus paranda; imo dum effluvia illa, cum ægros invisimus aut in locis infectis versamur, nares haud præterlabantur, infructuosum non erit ejusmodi quoque olfacere aut errhinos pulveres ex similibus paratos in nares attrahere. Sive volentibus autem & spirituosiss, aceta theriacalia Camphora imprægnata, præferrem. Suffituum autem materiam suppeditabunt ligna junip. fraxinique, flor. hyperici, absynth. thus, myrrha, succinum, sulphur, de quo, τὸ θεῖον illud Hippocratis, interpretatur Kircherus, Nitrum, vitriolum &c. Solus pulvis pyrius, aut cum aceto parati ex illo globuli, fumus aceti,

*Basilica  
Chym, C. 13.*

*f. 3. Cap. 16.  
de Peste.*

aceti, aut calcis vivæ affusa aqua, parandus, Modo hæc & similia pectus ferre possit, plurimum laudantur. Hac tamen semper cum cautione, ut, pro diversitate constitutionis aëris, ipsius & temperamenti forsan individualis, inter dicta simplicia prudens habeatur selectus.

§. XXXIV. Omnium autem maxime salivali se miscet humori pestilentielle illud venenum, ut alii, respicientes insuper ad illas criticas in glandulosis locis excretiones, serum in peste vel maxime infici arbitrentur. Itaque hic quantum fieri licet, veneno statim occurrendum & virulentia ejusdem antequam ad interiora serpat, mature castiganda est. Salivalis ergo humor frequentius, dum in locis infectis versamur, expui, nec deglutiri debet. Ad corrigendum autem virus, & eliciendum ex glandulis salivam, varia quoq; masticatoria & sublingualia commendantur, in ore detinenda & parumper masticanda: qualia sunt, Rad. Zeduar. angelicæ, pimpinellæ, Myrrh. Maces, bacc. Laur. vel junip. in aceto bezoardico maceratae, ex quibus jam addito saccharo & mucilagine tragac. trochisci aut morsuli parari poterunt. Imprimis autem jejuno ventriculo & vacuo, promptius venenum recipi & corpus infici solere, supra diximus. Unde tutius est, illo tempore & antequam in publicum quis prodit, jentaculum vesci. Simplex & domesticum est illud: quo Sylvius se & suos a peste conservasse dicitur, panis scilicet butyro largiter illitus, super bibendo unum alterumve cochlear aceti vini, cui vel ipsum vinum substitui poterit & si placet fol. rut. vel flor. sulphuris saccharo permistis panis condiri. De elixiriis illis & conserv.

prophylacticis cum pleraque ingredientia eorundem calida sint ( quo nomine & ipsa theriaca recentioribus suspecta est, ) & quod exigua illorum quantitas, quæ singulis vicibus sumitur, facile in ventriculo dispareat rursus; aliorum iudicium & certiolem experientiam expectare, quam nostrum ferre, malumus.

§. XXXV. Nec possumus illis calculum adjicere, qui in frequentiori vomitoriorum, purgantium sudoriferorumque usu prophylaxin sitam arbitrantur. Equidem casus incidere possunt ejusmodi, in quibus illis carere nequimus, tantum tamen abest, ut his pestis tempore sanitas conservetur, quin eandem sub horum usu magis periclitari putem. Præterquam enim quod vires languidas reddant, & præsidia sanitatis ante morbum consumant; motum quoque inducunt humoribus, & quiete non nocituri, jam commoti, illum morbosum motum, suscipiunt facilius. Pertinent huc Coi nostri effata: *Qui sunt sano corpore dum Pharmacia purgantur celeriter exsolvuntur, atque hi qui prævo utuntur nutritu; item qui securo sanitate utuntur hos purgare grave est.* Nisi itaque aliud accesserit indicans, aut consuetudo contrarium svadeat, abstinendum potius ab illis omnibus erit. Idem de Venæsectione sit iudicium. Aliter autem forsitan iudicandum erit de fonticulis. Quamvis enim recentiores in præfenti peste nihil singulare circa illos se observasse scribant, nollem tamen plane rejicere hoc auxilii genus, à tot jam laudatum annis, experientia & ratione non minus probatum. Magnifice satis de illis sentit Ol. Borrich. in *Actis Hassniensibus: deprehensum nobis est,*  
*graf-*

*grassante pestilentia, propemodum hic extinctum esse neminem, quibus in aliqua corporis parte hiabant fonticuli.*

§. XXVI. Præstat itaque Dantiscanorum exemplo nullo medicamento uti, quam, dubiis ejusmodi & incertis prophylacticis, sanitatem tentare aut lacescere magis. Animus inperterritus & sub mediis illis calamitatibus, invictum mentis robur, vitæque sobria & frugalis præcipua sunt, à quibus sanitas dependet, momenta. Medica autem arte, si hic aliquid proficere volumus, ad ipsa illa, quæ de corporum dispositione & ipsius pestis invasionis modo dicta sunt, respicere debemus, indeque prophylacticæ indicationes prudenter repetere & eruere. Non frequens & continuus medicamentorum usus, sed opportunus magis & commodus, à morbis præservat. Duobus autem vel maxime scopis seu indicationibus omnis innititur prophylaxis: quorum primus circa rerum non naturalium regimen chylo-ferosve officinam versatur; digestionis & coctionis opus adjuvari & promoveri oportet, ne cruditatibus in primis viis cumulatis, sanguis postmodum inficiatur, aut repleatur iisdem. Alter autem scopus sanguinem ipsum respicit, hujus motus ita moderandus, ne in anomalum ejusmodi motum assurgere, aut à veneno inverti aut infici possit facile. Plus tribuendum itaque censemus præcipitantibus notioribus, ex coralliis, bolo Armeno, quem Gal. jam tum commendavit, Corn. Cerv. succino, nitro, terra Lemn. &c. paratis, quam operosis nonnullorum specificis. Moderatus sic horum usus, si balsamicis, stomachicis & subacidis tempestive interstinguitur, primæ quoque indicationi fiet satis.

Haud immerito itaq; suspecta nobis sunt illa universalia & omnibus sine discrimine commendata specifica, quæ magnificis suis, quo minus satisfacere possint titulis, ipsa corporum, loci circumstantiarumque aliarum facit diversitas.

§. XXXVII. Quemadmodum autem in prophylaxi certos scopos sibi præfixos habet Medicus, sic in ipsius morbi curatione tales quoque eligat, certamque methodum formet, ad quam omne postmodum ejus studium collimet & qua felix absolvatur curatio. Probe itaque perspecto ipsius morbi genio & natura, sequentes præcipuæ nobis videntur indicationes curatoriæ. 1. Motus humorum corrigi debet, ut si segniores ad laudabilem crisin videantur, iidem excitentur augeanturque, impetu autem nimio, si ad illam ruere eosdem cernat, & ab ipsis ferocientibus & tumultuantibus quasi laudabiles excretiones impediri animadvertat Medicus, compescendi erunt tumultus & mitiganda ferocia. 2. Omni enim conatu omnique ope criticos conatus adjuvare & naturæ opus promovere debet Medicus, & naturam, cujus Minister audit, ducem in omnibus sequi: blande itaque, versus exteriora & corporis peripheriam propellendo humores, ipsam criticorum illorum abscessuum prorruptionem promoveat & faciliat. 3. Nec minor symptomatum ratio habenda; ne horum vehementia, laudabiles Medici conatus, irritos reddat, mature quoque illis debita præsidia opponenda & illorum robur mature artis vi destruendum. 4. Interea tamen nec abscessuum curam negligat, aut segniorem illis præstet opem

opem Medicus. §. Denique quod omnium primum vires respiciat, & ne sub tanto onere succumbant earundem conservationi maxime studeat, commodis analepticis reficiendo ægros & naturale restaurando robur.

§. XXXVII. Virium itaque conservationi per totum morbi decursum maxime studere debet Medicus. Itaque non immerito, diætæ, qualis in hoc morbo esse debeat, prima habenda erit ratio. Hippocratis *Aph. 9. s. 1.* ex consilio, tenuis magis in acutis convenit; talis tamen, quæ ad vires sustentandas sufficit: qualem merito & nos saltem primis, tribus vel quatuor diebus svademus, postea autem plenior paulo concedentes. Atque non incommodum arbitramur, cibos condire ejusmodi herbis, quæ veneno insimul resistunt. Reficiunt sic & palatui gratæ sunt porro gelatinæ sive ex C. C. raspato, sive ex animalium jusculis, juxta Diemerb. eadem parentur. Sitis enim adesse solet, quæ sic optime simul restinguitur. Omnem autem potum ægrotis interdicare nec consultum, nec salutare erit, modo à frigido sibi temperent & abstineant magis; cerevisiæ autem, nisi consuetudo aliud svadeat, præferenda censemus calida illa herbarum infusa ex Herb. Beton. Fumar. Rad. Scorzoner. Tormentill, si forsan diarrhœæ metus sit, corticibus citri &c. paranda & per vices ægris exhibenda. Vinum vix nisi aqua dilutum & forsan phlegmaticis solis & sub declinationem morbi concedi poterit. Nec minor circa somnum sit cura; quamvis enim haud æque ægris illum interdicare soleant Medici, hic tamen

men

men in peste, quæ circa primum morbi insultum obrepere solet ingens ad somnum capiendum propensio arcenda potius. Præstat potius sudori vacare & receptum virus per cutis poros propellere. Tantum enim abest, ut ejusmodi somnus reficiat, quin major semper malignitati ad interiora via & aditus sic panditur. Toto morbi tempore in æquali aëris temperie corpus fervetur & in udore fere continuo. Ut enim alios mitius pestis affligat, ipsis illis abscessibus erumpentibus, reliquo corpore vero sano, nusquam tamen hic tuta fides, sed caveant illi vel maxime, ne aëris semet exponendo injuriis graviora pericula & mortem ipsimet adsciscant sibi. Denique ut adstantium quoque ratio habeatur, hypocausti aër commodis suffimigiis corrigatur, aut si mitior coeli intemperies, per horas aliquot fenestræ aperiantur, ut salubribus ventis idem perfletur, ægro interea stragulis cooperto, ne sudoris spiracula facile rursus occludantur.

§. XXXVIII. Præcipuas autem indicationes sudorifera adimplere videntur, quæ dum humores ad peripheriam corporis protrudunt, ipsorum abscessuum eruptionem non parum facilitant. Unde omnes uno ore, à primo statim initio ad finem usque morbi, regimen diapnoicum præscribere solent Medici, & ægris commendare plurimum. Equidem non immerito disquiritur ab aliis an criticis illis hujus morbi solutionibus sive excretionibus, sudor etiam annumerari debeat; negativam tamen confirmare videtur experientia, dum manifeste nocuisse pluresque sub ipsis sudoribus

ribus



tibus mortuos, imo anthracum eruptionem sudoribus *l. c. p. 40. 71.*  
 magis stipatam fuisse observationum fide compertum *§ 74.*  
 videtur. Utut autem hæc ita sint, omnem tamen hinc di-  
 aphoreticorum usum in peste statim negligere aut da-  
 mnare non debemus, quin cautos & providos nos circa  
 ejusmodi exhibitionem esse debere, hæc & similia do-  
 cent. Nimia sudationes & violentæ minus hic prode-  
 runt, sed sufficet, si naturæ motus æmulando blandissi-  
 mus humoribus circa exteriora motus arte inducatur,  
 quo criticæ illæ & morbo huic propriæ magis excretio-  
 nes promoveantur; nimius autem aut turbulentus hu-  
 morum motus quantum per artem licet temperetur &  
 corrigatur. Atque in hoc unico ipsius curæ difficultas  
 sita videtur, quod vix naturam in operibus suis facili sa-  
 tis artificio imitari aut assequi possit naturæ minister,  
 Medicus. In aliis enim, veloci magis motu & præcipiti  
 ruentes humores, nullam coctionem nec laudabilem  
 crisin spondent, liquorum instar nimia fermentatione  
 deperditorum: In aliis, major ad motus necessarios  
 segnities, ut vel inde ob deficientem motum humo-  
 rum crisis destruat negotium: In aliis, spirituum ani-  
 malium accedens impetus, humorum motum non pa-  
 rum immutans, medentibus plus faceffit negotii.

§. XXXIX. Ut autem pro temperamentorum  
 diversitate & humorum miscela varia hi motus diffe-  
 runt, sic ipsa medicamenta subinde immutari debent.  
 Prudentiæ itaque erit magis Medicæ, felici postmodum  
 judicio hæc & ejusmodi in individuis probe distin-  
 guere & singulis convenientia applicare. Est quippe  
 inter ipsa illa sudorifera magna disparitas, & alia eo-  
 run-

rundem partium sunt magis tenuium ipsum humorum motum magis intendunt; alia diluendo magis sanguinem, ipsiusque sudoris copiam augendo, eundem eliciunt, alia ex præcipitantium numero veloces & impetuosos motus sistendo sudoris eruptionem faciunt. Qualia itaque eligenda sint, ingenere determinare non licet, sed habito respectu ad corpus ex humorum constitutione motuque individuali & morbi insuper tempore dijudicet Medicus. Apposite Thönerus, *illud, scribit, in peste curanda observandum existimo aquas bezoardicas & antidota ex calidioribus concinnata ingredientibus non indifferenter, sed cum iudicio præscribenda, si natura obtigerit calidior & calores adsint luculenti abstinendum, & si iis opus, à prima statim invasione, antequam febris succensa, & dum vires constant, exhibenda, alias funesta existimanda.* Unde ratio illius asserti reddi poterit facile, quod plures, præsentis peste solo diapnoico regimine quam multorum medicamentorum forsan calidiorum usu, sint servati. Etenim sudoris illam eruptionem, non illa solum intentione, Medicus hic urget, ut per illum omnis malignitas auferatur aut excernatur, sed quod his mediantibus medicamentis, humorum motus, versus exteriora conservetur, sicque illo mediante critici illi huic morbo familiares abscessus promoveantur. Blandiora itaque medicamina, quibus naturæ succuratur a nobis hic intelligi, ex dictis patet.

§. XL. Ardua hic de V. Sione incidit quaestio & maxima, circa illius in hoc morbo necessitatem, videtur iudicii difficultas. Equidem malignitas hanc  
non

L. 1. obs. 2.  
opp.

non indicat, nec per sanguinis missionem illam vel corrigi vel emitti simul, quisquis dixerit facile. Sunt tamen plures magniq; nominis Medici, qui tanquam maxime utilem & proficuum illam commendant. Nec minor illorum auctoritas, qui, illam intutam atque nocivam, rejiciunt, ut, ipsa experientiae fides, sub hoc auctorum dissensu, vacillare videatur maxime. In praesenti peste à Dantiscanis nihil singulare aut certi observatum est, nisi quod in principio instituta, dolorum levamen; in morbo autem, nullam mutationem induxerit. Inter sympto-  
mata autem, hæmorrhagia die critico contingens, salutaris magis deprehensa est. Barbette in calidioribus locis magis forsan eandem proficuum, minus in frigidis, quibus & Belgium suum annumerat, convenire, scribit. Ratiociniis si locus, & si analogia, à variolis ipsisque febribus malignis sumpta, quicquam hic valet, non quidem semper; quandoque tamen illam necessariam arbitramur; nunquam tamen nisi in primo morbi principio, summo humorum orgasmo & in corporibus plethoricis praesertim si consuetudo accedat.

§. XLI. Nec minor difficultas circa vomitoria: Quamvis enim & hæc pestis proprie & perse, ut Gieslerus loquitur, non indicet ipsumque venenum pestilentielle longe tenuius sit & proinde se per corpora diffundat magis, nec in ventriculo solum delitescat, multi tamen sunt, qui eadem in peste maximopere commendant. Ut ergo quid tribuendum illis sit pateat magis, non abs re erit, quæ circa vomitus vel sponte vel arte inductos, praesertim in hac praesente peste observata sunt, hic transcribere. Vomitoria & purgantia maxi-  
pag. 35.  
pag. 36.  
pag. 43.

me nociva & funesta fuerunt in Dantiscana peste, & quibus spontanei in principio morbi vomitus aderant, magis periclitabantur, imo moriebantur, quam si demum vomitus post semicriticum diem accedebant. In Rosenbergenfi autem peste, vomitoria, in primo contagii concepti initio & sponte non vomentibus, salutaria fuisse dicuntur. In eadem tamen peste, circa vomitus spontaneos, observatum legitur, quod his mediantibus, una cum esculentis excreta sit biliosa quædam flava, viridis seu prasina saburra, periculosi tamen omnes & funesti; sin tardius sequebantur vomitus, abscessibus jam genitis aut suppuratis, hisque bene fluentibus, non adeo perniciosi, sed salutares deprehensi sunt. Salutare vomitorium, & cum insigni effectu in pluribus se eodem usum dicit Manasse Stöckel Chir. Loimicus. Prolixe quoque pariter & docte de usu vomitoriorum differit Joh. Kanold. Med. Uratislav. ut taceam alios. Quicquid autem sit maximam circumspectionem & iudicium Medicum requirit vomitoriorum usus, nec forsan, nisi in primo morbi insultu, profuturus, maximeque illis, qui corpore & viribus valentes, ob intemperantiam malum sibi contraxerunt, forsan & illis qui à metu & timore in pestem incidunt, semper tamen alexipharmaca, & quæ ad peripheriam humores propellunt, statim subjungenda erunt.

§. XLI. Denique symptomatum pestis hic ratio quoq; habenda erit, quæ tamen cum pleraque cum illis quæ febribus malignis superveniunt aut junguntur, eadem sint & sub debito regimine cum ipso morbo evanescant,

pag. 35.

pag. 22.

pag. 101.

Anmerkungen  
von der  
Dantziger  
Pest. pag.  
15.  
v. St. & seq.  
l. c.

nescant, silentio illa præterire, & ne disertationis limites excedant hæc qualescunque meditationes nostræ, ad febrium malignarum curationes benevolos lectores remittere satius duximus. Abscessuum saltem, huic morbo familiarium, imo priorum magis, bubonum puta & anthracum curam paucis subjungamus.

§. XVII. In externis partibus primo bubones occurrunt, qui uti salutis spem non vanam afferunt, ita provide omnino tractari debent. Internis itaque & supra dicta methodo illorum proruptio pro virili facilitanda est, illa imprimis, quæ aliorum humorum impetum avocare & illos retrocedere faciunt, sollicite vitanda, atque ut eo facilius erumpant, externis præterea medicamentis succurrendum naturæ & obviam eundem. Mitiora autem & emollientia in præfenti peste reliquis fere omnibus dubiam reddere palmam videntur: qualia sunt cataplasmata illa ex avenaceo Lil. alb. radice, medulla panis triticeï, ficibus, semine lini &c. cum croco & camphora in lacte decoctis parata, cepæ item & theriaca egregia fere semper deprehensa sunt. In præfenti quidem peste & principio, spiritu vini camphorato, cum fructu se usum esse testatur J. K. Med. Dant. hincque sedata febre, tandem amollientia, forsitan ne ipsius tumoris suppuratio ipsum calorem & febrem exacerbaret nimis, adhibuisse, atque modo sic in suppurationem abiisse, modo integre discussos idem refert. Verum profundius dicti illi abscessus hærent sæpius, rebellesque eosdem experimur, imo præter vota quandoque disparent citius, pessimis ægri rebus.

tiana methodus non incommoda tunc videtur, qua, post applicata vesicatoria, causticum quoddam levius iisdem admoveri jubet, maxime quando ejus indolis esse experimur, ut suppurari nolint. Recentiorum tamen observatio contrarium videtur svadere, quando J. G. K. ita scribit: *Vesicatoria autem & scarificationes maxime nocebant, quia partem magis dolorificam reddebant, sicque contractionem partis provocabant, qua facta bubo repellabatur & ad interiora tendebat gravissima post se trahens symptomata.* Nescio autem an in casu adeo desperato & ancipiti non præstet, ancipiti magis quam nullo uti remedio; sectione autem & scarificatione vix irritandos esse putem, cum & abscessuum immaturorum, quamvis benigni sint, incisionem gravioribus symptomatibus stipatam deprehendamus semper. Simulac autem maturitatem attigit bubo protinus scalpello aperiendus est, ne humorum acrimonia vicinas & subjectas partes afficiat gravius: apertum autem sic vulnus, more aliorum ulcerum, mundantibus puta & digestivis tractandum erit.

§. XLIII. Longe autem ab his, uti vel sua natura & genio differunt anthraces, sic cura quoque horum alia & diversa est. Quandoque pustulæ apparent aqua repletæ, modo pure, quibus apertis partes vicinas & subjectas duriores & exustas quasi, insignique ardoris sensu gaudentes deprehendimus mox in gangrænam abituras. Est quippe carbunculus, gangrænae species, & proin simili modo tractandus: fortiora tamen remedia & actuale cauterium, quod à Barbette & aliis commendatur, cum profundis scarificationibus, in gangræna

pag. 41.

na alias admodum proficuis, Neomagensis olim pestis teste Diemerb. respuebat, nec præsentem ferre referunt. Potius vicinæ partes, quantum fieri potest, ab imminente putredine defendendæ & muniendæ, ipsa autem emortua pars, ut quantocius à sana separetur prima sit Medici intentio. Antimon. butyrum, Ung. Basilic. item Ægypt. Empl. nec minus ex Magnete Arsenicali, plurimum à Diemerb. laudantur atq; Barbette, quæ tamen, cum omnibus acrioribus, rejicit & minus in præsentis peste convenire scribit Manasse Stöckel l. c. Solo Empl. citrino & altero illo Vögedingii omnem fere curam feliciter se absolvisse asserens. Postquam autem ad suppurationem vergit & eschara excidit, ut alia ulcera similiter tractatur.

Atque hæc demum sunt, quæ privatim meditatus sum de morbo hoc gravi, huc illucve proh dolor! grassante. Deo, qui nos hætenus incolumes ab eo præstitit, supplices agimus gratias, & ut imposterum immunes nos servet, & à nostris finibus diram luem propellat, clementissimum Numen ardentissimis rogabimus precibus.



